

dispositio, ita ut nullum fortiatu effectum, d. l. qui heredi, d. t. Mavio, ff. de condit. & demonst. pluribus Barbo. ubi proxime, Galeot. contr. 10. n. 10. lib. 2. Neque ex verbis subsequentibus ea destruebantur. Nam facultas relicta conscientie, zelo, & experientia Navarchi in eadem oratione reperitur, sub conditione prælibata, quæ regitur ab uno & eodem verbo, nempe *Concedimus*, & sic facultas ipsa dependens ab ea conditione data fuit: atque aded, dum reditus classis non evenisset tempore quo non poterat ingredi portum tutè, & securè, nil concessum fuit, per quod derogata, sive dispensata conferretur constitutio anni 1664.

44 Ac tandem non obstat, quod quælibet causa etiam injusta sufficiens sit ad excusandum à dolo, & à pœna, ut cum Claro, Marfil. Menoch. & aliis probat Cartar. decis. n. 37. & decis. 44. n. 38. Neque probabatur sufficientem causam habuisse ex credulitate facultatis absolute concessæ, in d. c. 14. Nam licet verum sit, quod quælibet causa excusat, hoc non procedit absolute, sed quando causa colorata est, & adhuc fallit in pluribus.

Primo quando causa injusta continet 45 errorem juris notorii, docent Angel. Imola, & Cumanus, in l. lex consensu §. fin. ff. de appellat. idem Angel. in l. plagii 4. ff. ad leg. Fab. de plag. pluribus Farinac. g. 90. num. 51. Cartar. d. decis. n. 218. qui num. 221. probat, quod hæc procedunt etiam si quis delinquit circa ea quæ sunt juris civilis notorii. Et notorietas negari non poterat, cum dicta constitutio omnibus navigantibus ad Novum Orbem notoria sit, & ipse Navarchus allegabat se primum fuisse, quæ ei paruerat.

46 Secundò, non procedit conclusio, quando agitur de pœna extraordinaria & pecuniaria. Jafson, in l. justè possidet, ff. de acquir. possess. Alexand. Roland. & alii quos sequitur Cartar. d. decis. 44. n. 39. Nam ad excusandum ab hac pœna requiritur causa justa. Et nulla probata aut deducta fuit per Navarchum præter incertitudinem, atque inconstantiam naturalem rei maritimæ, quæ si attendenda esset, nullius momenti forent tot, tantæque leges, constitutiones, & rescripta, de re ipsa maritima latæ, quod valde alienum est à recta ratione.

47 Tertio, quia dicta regula non excusat à pœna debita ex contemptu Magistratus aut Judicis, Gloss. in l. 1. §. fin. ff. si quis jus dicenti non obtemper. Angel. ibid.

n. 13. Jafson, Cagnol. & Gabriel adducti per Far. d. g. 90. n. 71. Cartar. d. decis. 44. n. 41. vers. quarta ratio Giurba, d. consil. 33. num. 2. Et contemptus magistratus, ter Navarchum requirentis, quod ingrederetur portum, plenè comprobabatur in actis.

Quarto, quia dicta regula limitatur 48 in pœna ipsa ordinaria, ita ut omnes Doctores de re criminali scribentes, quos refert & lequitur Farin. d. g. 90. n. 55. teneant, quod ex causa injusta reus potest vitare pœnam acerbam, non verò pœnam extraordinariam. Et sic decisum fuit: nam Senatus Navarchum condemnavit ad pœnam suspensionis per biennium, duorum mille aureorum, sententiâ diei 23. Octobris 1670. & in gradu supplicationis condemnatus fuit ad solvendum sex mille aureos, pœna suspensionis in pecuniaria commutata, sententiâ diei 11. Januarii anni 1671.

#### CONTROVERSIA LXIV.

De Jurisdictione Proregum Novi Orbis, ad committendam inquisitionem criminis patrati per Praetorem alicujus Provinciae, durante termino officii.

#### SUMMARIUM.

- 1 Facti species traditur, & n. 2. & 3.
- 4 Prorex solus non potest Judices Pelquisi-dores mittere, sed ex deliberatione consensus Audientie, & n. 15.
- 6 Prorex representat Regem, sed in aliquibus limitatam habet jurisdictionem, & potestatem.
- 6 Acta corrumpunt insanabiliter ex defectu jurisdictionis.
- 7 Nullitas ex defectu jurisdictionis sic red-dit judicium nullum, ut neque sententia, neque res judicata dici possit quod sequitur.
- 8 Praefectus Curia alicujus Audientie in prima instantia, non potest inquirere pro delicto commisso extra quinque leucas in circuito Metropolis.
- 9 Excipe casus Curia de quibus cognoscunt Praefecti Curia in toto districtu.
- 10 Praefectus Curia extra Curiam nullam exercet jurisdictionem ex se.
- 11 Casus Curia debet aliquo modo probari, ut pro tali reputetur, & n. 13.
- 12 Judices Pelquisidores sub qua forma nominandi, & expediendi sint.

14. Dote

14 Domestici expulsi non sunt idonei testes contra Dominum.

16 Proreges immediate representant Regem in omnibus, cum plenitudine potestatis, & jurisdictione omnimoda in Regnis, sibi commissis.

17 Proreges tanquam Locumtenentes Regis possunt quicquid ipsa persona Regia juxta rescripta.

18 Rex est fons atque origo Jurisdictionis in omnibus Regnis.

19 Proreges in Novo Orbe, sunt rivuli deducti ex hoc fonte, per quos omnis jurisdictionis dimanat.

20 Proreges hanc potestatem, & jurisdictionem habent, circumscriptam regula recti.

Rex eandem regulam observat, quamvis non sit qui cogat. ibid.

21 Praefecti Regia Domus, & Curia Regem comitantes per Regnum, exercent omnem jurisdictionem per quinque leucas in circuito.

22 Rex est Ordinarius Ordinariorum, & mediante Praefecto Curia, quem secum ducit, exercet jurisdictionem, absque injuria alterius tribunalis.

23 Visitatio Regnorum instituta est, ut cuncta, quæ auctoritatem Regis exposcunt, sui presentia moderetur, ac temperet.

24 Proreges Novi Orbis dum Provincias sibi conceditas lustrant, Regium Ministrum togatum, vel alium litteratum virum in comitatu ducere debent, cujus consilio ea quæ Justitiam sunt, expediuntur.

25 Prorex potuit causam Praetoris, per quemcumque ministrum justitiae inquirere, atque, eo in culpa reperto, punire.

26 Prorex dum iussit causam Praetoris inquirere, & judicium Audientiae reservari, non misit Judicem Pelquistorem.

27 Proreges possunt per se causas Indorum breviter expedire, adhibito viro litterato, loco Aseforis.

28 Prorex per se solus potest dare iudices ad inquirendum gravamina Indorum.

29 Proregum arctissima obligatio in indagandis gravaminibus Indorum, & eis subveniendis.

30 In remotis provinciis Novi Orbis, non juris stricta norma, sed ex aequo, & bono lites judicande salubriter sunt.

31 Cause criminum atrociorum ad Tribunal, Regem representant, pertinent.

32 Casus Curia, qui in Hispania ad Regis cognitionem, sive ad Regios Senatus

spectant, in Regnis Novi Orbis ad Regias Audientias.

33 In casu Curia notorio, neque probatio, neque informatio requiritur, ut Causa in Regis Audientia assumatur.

34 In casu Curia minime notorio, raro documenta solemniter videntur, nam committi solet cognitio ad regium Auditorem Hebdomadarium.

35 Casus Curia notorius est, homicidium insidiosè patratum, & maxime, per Praetorem, vel alium judicem.

36 Parricidium inter enormissima crimina annumeratur.

37 Homicidium patratum propinatione veneni, atrocissimum, & proditorium est.

38 Pater necare potest filiam, & adulterum, sed excusatio procedit si eos deprehendit in turpitudine, secus si de ea non constat.

39 L. nec jure 22. in fin. ff. ad leg. Jul. de adulter. expenditur.

40 Patri ulcisci permittitur adulterium filiae, non stuprum.

41 Cujacius adducitur eleganter tradens differentiam affectus inter patrem, & maritum per adulterium.

42 Licentiam occidendi solum concedit lex cui praesumit raro, aut nunquam eam ad exercitium perducendum esse.

43 Patri solum permittitur filiam deprehensam in adulterio occidere, in continenti.

Hæc licentia non extenditur ad filiam stuprum passam.

44 Pater minister legis fit ad exequendam pœnam capitalem in filiam.

45 Occidens Bannitum minister etiam legis est.

46 Judex non potest uti veneno ad criminandum necandum.

47 Pater filiam in adulterio deprehensam non potest necare veneno; quia ferrum illi porrigitur, non poculum, à lege.

48 Bannitus impune non occiditur veneno.

49 Occidens veneno Bannitum, tanquam verus homicida, & proditor punitur.

50 Judex non potest fungi officio tabellionis, vel actuarii.

51 Judex in causa propria nemo esse potest.

52 Offensus, & inimicus, iudices esse non possunt.

53 Judex potest cognoscere de injuria sibi illata ratione officii tantum, & quando notoriè constat de ea, & pœna determinata est per legem, secus si aliquid ex his deficiat.

Judex



- 54 *Judex ex injuria sibi illata, non potest penam irrevocabilem imponere, etiam si fiat intuitu officii.*
- 55 *Judex neque de consensu partium potest sumere officium Actuarii.*
- 56 *Judex de facto aliquem interficiens pena capitali plene tenetur.*
- 57 *Judici non conceditur facultas defensionis, defensio deneganda est, ut aliqui docent.*
- 58 *Judex de facto procedens excusari non potest ex capite ignorantia, licet vir militaris sit.*
- 59 *Judex in judiciis publicis potest, & debet procedere ex mero officio, licet deficiat accusator.*
- 60 *Judex quando possit procedere per accusationem, denuntiationem, vel ex officio, remissive.*
- 61 *In crimine notorio procedere iudex potest omitta solemnitate.*
- 62 *Accusatore deficiente, iudex de officio prosequi debet.*
- 63 *Prorogatio Jurisdictionis in criminalibus de jure procedit.*
- 64 *Prorex, & Praefectus Curiae, Judices in pacis dici non possunt.*
- 65 *Regula, l. quod ab initio, ff. de regul. jur. in judicialibus non procedit.*
- 66 *Regula leg. factum 170. ff. de regul. jur. non tollit effectum prorogationis.*
- 67 *Proregis commissio rata facta fuit per conventum Auditorum Regiae Audientiae, re integra.*
- 68 *Periti adhibendi sunt ad comprobationem corporis delicti in propinatione veneni.*
- 69 *Ita ut deponant de quantitate, & qualitate veneni, & aliquem veneno interemptum esse.*
- 70 *Decisio Senatus.*

**N**ovis ex Proregibus Novi Orbis, dum ad remotiores Provincias sui districtus pacandas proficisceretur, & dum distaret ab Urbe metropoli, sive Curia per plura milliaria, percepit quod quidam ex Praetoribus, per Regem electus, facinus enormissimum patrauerat. Causam inquirendam Regio in criminalibus Ministro cum associanti commisit, ut de jure procederet, cui commissio necessitatem concessit. Is tres testes ibidem examinavit, Didacum, & Joannem conjuges, domesticos Praetoris, sed ab ipso jam expulsos, ac puerum

Indum, qui decennium attingebat, absque jurejurando: ex dictis famulorum comprobatur, quod Praetor habuerat filiolum pulcherrimum pubertatem attingentem, nomine Silviam, in cujus penetrali mater invenerat, quod repagulum januae per pattem clausae, simulatè apertum extabat; ex quo contentio orta inter ipsas fuit, & cum ad notitiam Praetoris hoc factum pervenisset, jusserat Mariam, & Josephum Indos domesticos, ad domum Didaci, ut separatim custodirentur, duci. Hi examinati per Praetorem, dixerunt quod Silvia è femoralibus patris, dum ipse dormiebat, clavem repaguli sumebat, januam secretè aperiebat, ut Petrus Indus, & coquus, qui ipsam flagitaverat, cum ea cubaret; & Josephus cum Maria, quae in eodem cubili pernoctare solebat; & quod Silvia ex his congressibus gravida reperiebatur. Praetor Indum coquum apprehendit, & validis flagellis cecidit usque dum torum factum confessus fuisset; & eum victum relinquendo filiolum crudeliter flagellavit usque ad animi deliquium, Eadem nocte Petrus, juvante fratre, aufugit; & die sequenti annuente Praetore, Josephus & Maria matrimonium contraxerunt, sed sub praetextu celebratis nuptiarum, eos Praetor invitavit ad potum, in quo venenum propinavit, ejus efficaciam, ut Maria sanguineum vomitum statim experiendo intra paucos dies è vita sublata fuerit, semper sanguinem per os, & nares fundendo. Josephus autem, quia potum non sumpsit servatus fuit, & fuga sibi consiluit. Petrus demum captus jussu Praetoris in carcere strangularus fuit, & ejus cadaver sequenti luce in furca suspensum, Silviae Pater ter venenum propinavit, ac tandem interit, & ni domestici sagaciter Sacerdotem cum sacra Eucharistia & oleo infirmorum introduxissent absque sacramentis miserimè necata foret. Conjuges contestes de ultima propinatione per sensum visus deponabant, & in cunctis fermè contestabantur: Praecipuè in hoc, quod post supplicium Petri, ipse Praetor jussit subscribere hos testes, quandam scripturam manu ipsius exaratam, quam dixit esse causam fulminatam in Petrum. Puer Indus de auditu aliqua ad rem dixit, sed plura addidit, quae neque ad rem pertinebant, neque inter se congruentia videbantur.

Ex his indicis, sive probationibus, Praetor captus fuit, atque tanquam reus examinatus

examinatus, confessus fuit mandatum suffocandi Petrum, & suspendendi cadaver; quia sibi venenum propinare conatus erat: quod in ipsa nocte januae interioris repagulum apertum inventum fuit, quod ex hac causa Josephum, & Mariam misit ad domum Didaci, in qua facti fuerunt consuetudinem illicitam: quare Maria januam aperiebat, quod matrimonium subsecutum fuit, & cetera negavit, asserendo filiam vitam functam fuisse ex morbo quo laborabat. Testes aliquot examinati fuerunt in ipso oppido, ex quorum dictis nihil praeter supplicium Petri comprobatur, & aliqua de auditu, & fama publica circa neces veneno patras in Mariam & Silviam. Praetor plene in causa auditus fuit: eam Prorex ad Conventum suae Audientiae duci jussit, & se praesente, atque negotio plene discussio, ad Aulam criminalem decisio remissa fuit. In ipsa Praetor de suis iuribus allegavit, nunquam de jurisdictione dubitando, aut aliquid opponendo. Tandem condemnatus fuit in poenam privationis Praeturae, exilii perpetui ab eo Regno, & quatuor mille aureorum Supplicationem interposuit & in hac instantia Praetore plene audito, sententia fuit confirmata.

His suppositis, quae ad uberiorem intelligentiam quaestiois propositae omnino necessaria censentur, Praetor iste in Senatu comparuit, se gravatum ex his procedimentis allegando, eo quod Prorex non habet solus jurisdictionem ad Judices quos vocamus *Persquisidores* mittendos; cum ei denegatum sit per regias constitutiones, plurimis Regum nostrorum rescriptas definitas, ut in rescriptis, diei 20. & 21. Maii anni 1572. quibus cautum est, quod Proreges sua sola auctoritate hos Judices minime dare possint, nisi prius, in pleno confesso Auditorum deliberatum sit. Probat D. Solorzano, de *Indiar. jur. tom. 2. lib. 4. c. 3. n. 19. & 20. & politicor. lib. 3. cap. 3. vers. ex tanto grado*. Quare sub mortali peccato teneri si eos alio modo remittat, tenuit P. A. vendaño, in *thesauro Indic. 1. p. tit. 3. cap. 7. n. 23. & 24.* Licet enim repraesentet Regem, ut omnes Doctores tradunt, & ei concessa sit libera administratio ditionis sibi commissae, tamen ut ipse A. vendaño ait. 2. p. tit. 16. c. 2. n. 46. in *fin.* pluribus in tebus ei limitatur. Cum enim judicem dedisset contra Praetorem absque deliberatione, & consensu Auditorum illius Audientiae,

nullius momenti fuit nominatio, ac per consequens cuncta subsequuta nulliter acta, gestaque, ut in simili probat D. Valengueta, *conf. 52. n. 56. cum sequentibus*.

Praecipuè cum nullitas haec procederet ex defectu jurisdictionis, quae vitiatum actum, ita ut infectum censetur, Text. in l. 1. §. haec autem verba, ff. quod quisque jur. l. 2. in *fin.* ff. de penis, pluribus Guazini. *defens. 1. c. 1. ex princip.* Neque dici potest, quod adest judicatum procedens ex sententia lata in Judicio supplicationis, quia neque acta, neque sententia, neque aliquid factum fuit, quod subsistere possit, cum in origine deficeret jurisdictionis in committente, & commissario. Quod enim ab initio vitiosum est, trajectu temporis non convalescit, Text. in l. quod initio 29. ff. de regul. jur. & ibi Petrus Faber & Revard. Quae quidem exceptio, nullitatis, nempe, ex defectu jurisdictionis, contra tres sententias conformes opponi potest, Vant. Scac. & alii quos refert Guaz. d. c. 1. n. 5. pluribus Navarius, *tractat. de elect. for. g. 2. n. 13. cum seqq.*

Neque sustineri poterat ex eo, quod processus informativus, & cetera causae citra sententiam facta fuerunt per Praefectum Curiae Regiae Audientiae illius districtus. Quia in prima instantia Praefecti Curiae non possunt cognoscere de criminibus patras extra circuitum ipsius curiae per distantiam quinque leucarum, ut docet quoad Regias Audientias Indiarum D. Solorzano, d. lib. 4. c. 5. n. 1. & 2. & lib. 5. polit. c. 5. in *prin.* Quae disposita sunt ad ipsam Praefecturam. Regiae domus & Curiae ex l. 7. tit. 6. lib. 2. *recopil.* ut diximus, *sup. contr. 1. 28. & 70.* Et ad instar Praefectorum Curiae Regiarum Cancellarum Pincianae, & Granatensis de quibus, in l. 4. tit. 7. d. lib. 2. *recopil.* demtis casibus Curiae, sive causis Consistorialibus, de quibus Monteroso, in *prax. trac. 5. D. Franc. Hier. de Leon. dec. Val. 10. n. 19. tom. 3. & ego aliquando dixi, tom. 1. de regim. Val. c. 2. §. 2. n. 52. in fin.* Cum autem Praefectus, de quo agimus, extra Curiam reperiretur ultra ducentas leucas; clarissime sequitur, defectus jurisdictionis in eo ex vi proprii muneris, ac per consequens nullitas omnium actuum similis iudicii, Text. in l. factum 170. ff. de regul. jur. ubi Faber & Revard. Jul. Clar. in §. *fin. g. 39. n. 3. Patin. in prax. g. 7. n. 19. Thelau. dec. 90. n. 1. Guazz. d. defens. 1. c. 14. n. 1.* Et licet cognoscere potuisset ratione enormitatis tanquam si esset causa consistorialis, vel



casus Curia; cum non præcesserit probatio requisita, & pronuntiatio necessaria per Text. in l. 1. & 2. tit. 2. lib. 4. recopil. ubi Azevedo, Monteroso, d. tract. 5. c.

11 nullius momenti fuit quicquid actum reperitur per illum Præfectum. Nam etiam si demum casum curia pronuntiatum fuisse cum debita solemnitate, & cæteris requisitis; sufficeret ut aula criminalis illius Audientia cognosceret, non autem ad hoc ut solus Præfectus Curia procederet in causa.

12 Et etiam si concedamus quod Prorex obtinebat jurisdictionem ad commissionem decernendam, & in Præfecto Curia ad procedendum, non fuit servata forma requisita ad nominationem solemnem iudicis perquisitoris, neque ad pronunciam. dum quod erat casus Curia. Non enim primum nam non constabat de crimine patrao, quod necessarium est, ut similis iudex delegaretur, sic docent D. Greg.

13 Lopez. in l. 3. tit. 17. p. 3. Azev. in l. 8. tit. 1. & l. 10. tit. 9. lib. 3. recopil. Bobad. lib. 2. politic. 21. n. 6. plurib. Valençuela, conf. 55. n. 65. cum seqq. D. Solorçano, d. lib. 4. c. 3. n. 20. & lib. 5. politic. c. 3. vers. pero cerca deste punto. In hoc enim casu Prorex ad delegandum iudicem, sive ad concedendam commissionem, ut inquireret, motus fuit ex privativa noticia, ut in decreto ab ipso lato apparebat: & ex hoc sequebatur nullitas innegabilis ipsius commissionis, cum deficeret noticia judicialis, quæ per informationem solemnem, aut per accusationem formalem percipitur, & iidem Doctores testantur. Iudex verò solus tres illos testes interrogavit, quorum duo inhabiles erant notoriè, quia domestici expulsi ab ipso inquisito, & sic tanquam inimici examinari non poterant: contra ipsum, ut probat pluribus relatis Farinacius, q. 49. num. 8. & q. 55. n. 144.

14 Tertius verò quia minor ætatis præfinitæ ad testimonium ferendum in iudicio criminali. Nam si juris civilis, & partitatum dispositiones sumamus, nisi testis vigesimum annum peregerit, excluditur omninò, Text. in l. in testimonium 20. ff. de testib. l. 9. tit. 16. part. 3. pluribus Didac. Narbona, tract. de atat. q. 5. n. 1. si verò noviori juri patrio deferamus, is idoneus testis in criminalibus est qui decimum sextum annum excefferit, l. 9. tit. 8. lib. 2. for. legum Narbona, ibid. num. 10. Neque hanc, neque illam ætatem testis attingebat. Et sic nulla sententia fuit, & nullius momenti acta, atque sic pronuntiari tam

per viam recursus, quàm nullitatis postulabat Prætor; sibi que honorem, ac poenam restitui, ita ut in pristinum statum reponetur.

Sed pro parte Fiscalis iudicium ritè, & 15 rectè institutum, atque finitè dicebatur, & sententiam ad debitam facti executionem deducendam. Nam licet si verum sit quod Proreges Novi Orbis regulariter Iudices perquisitores solum mittere non possint, absque consensu Auditorum Regia Audientia in qua præsumunt, ex iuribus, & auctoritatibus superius adductis, species de qua agimus extra regulam erat, & sic commissio per Proregem concessa iustissimè expedita fuit.

16 Primò, quia Proreges immediatè Regem repræsentant, cum plenitudine potestatis, & jurisdictionis in Regnis sibi concreditus, cum amplissima facultate legati à latere, & libera ac generali administratione in cunctis concernentibus gubernationè, & Iustitiæ administrationem, ut pluribus probat D. Solorçano, d. lib. 4. c. 9. & 10. præsertim d. c. 9. n. 10. & lib. 5. politic. c. 12. & 13. & post eum Episcopus Chilenis P. Gaspar de Villaroël, in gubern. Ecclesiast. p. 2. q. 13. art. 1. n. 13. & seqq. & P. Didacus Avendaño, in thesaur. Indic. d. lib. 1. tit. 3. per tot. præcipue, c. 3. §. 3. n. 84. quo Dei imagines, atque similitudines asserit. Et quia plura congeffi, tom. 1. de regim. Val. c. 2. §. 1. ex n. 21. ad ea lectorem remitto. Exstantque in terminis Indiarum duo Regia rescripta mirabiliter hanc immediatam Regis repræsentationem cõprobantia, alterum adductum per D. Solorçano, ubi proximè diei 19. Januarii anni 1614. ibi: Que los Virreyes como Lugartenientes del Rey pue-

dan haçer, y proveer lo que su persona Real, y sean obedecidos como quien tiene sus ve-

18 zas, sin replicani interpretacion, so las penas, que incurren los que no obedecen los mandatos reales. Et alium diei 2. Junii anni 1596. ibi: Conviene que entienda que sola la persona de mi Virrey ha de entrar debaxo del patio, por que representa la mia. Ex qua vera Regis repræsentatione sequitur, quod sicut Rex est fons, atque origo jurisdictionis in omnibus Regnis totius Monarchia, ut cum pluribus dixi d. c. 2. §. 1. n. 1. & c. 6. §. 1. n. 7. ubi laudavi Alciat. Roland. Menoch. Zazi. Monzi. Pereg. Montan. Vital. Bardax. & Zerda, quibus addendus Azeved. in l. 1. tit. 1. lib. 4. recopil. n. 10. qui alios adducit: sic in Novo Orbe, Proreges sunt Rivuli dedu-

21 Et ex eo fonte, à quibus jurisdictionis dimanat in cæteros Iudices, Præfectos, & Magistratos, illorum Regnorum, Nam, ut dixi D. Solorç. d. c. 10. n. 1. ibi: Ut vassalli in remotis Provinciis constituti, non teneantur Regem longè absentem adire, & perquirere, sed sufficiat, quod ejus Vicarium conveniant, & cum eo, & ab eo illa omnia agant, petant, & consequantur, quæ ab ipso Rege expectare, & impetrare possent, etiam ubi speciale mandatum requiritur. Quod pluribus auctoritatibus confirmat, & exornat, quæ non transcribuntur, cum ibi repetiri facile possint. Nec P. Avendaño hæc liberam, & absolutam potestatem negare fuit ausus, d. tit. 16. c. 2. n. 46. sed eam circumscriptam rectè regulis definit. Quod non negamus: cum Rex, & Dominus noster, pro sua clementia, & bonitate, quamvis nemo sit qui cogat, profiteatur, se dictamini recti, atque rationis, supremam auctoritatem, supponere. Et sicut in his Hispania Regnis, licet Præfecti Regia domus, & Curia, solum jurisdictionem exercent in prima instantia, intra eandem Curiam, & quinque leucas in circuitu, ut dixi, d. contr. 1. n. 28. & 70. Tamen quando Rex regna lustrat Præfectus, quem secum adducit, suam jurisdictionem exercet in urbe, ubi Rex adest, & per quinque leucas in circuitu, & ad quam distantiam se extendunt vestigia Curia, sive ut vulgo dicitur, La Corte y castro, ex Tex. in l. 9. §. 13. & 16. §. 13. tit. 6. lib. 2. recopil. ut notavimus, 22 d. contr. 1. n. 71. & 81. Tunc enim Rex mediante illo Magistratu, jus & iustitiam dicere solet quoties necessitas expostulat, absque noxa, vel injuria Aulae supremæ, criminu, Regii Senatus, neque alterius Tribunalis vel iudicis, cum ipse Rex cujus nomine, & auctoritate cuncta fiunt, sit ordinarius ordinariorum: & ad hunc finem visitatio Regnorum instituta sit: ut omnia quæ illius auctoritatè expostulant sui presentia moderetur, ac temperet. Ut plurimis utriusque eruditionis textibus & auctoritatibus probant D. Solorç. emblem. regiopol. 62. per totum, & D. Saavedra, symbal. pol. 57. plura conducentia tradens.

24 Sic similiter Proreges Novi Orbis, dum Provincias sibi commissas visitant, Regiū Ministrum Togatum, vel alium litterarū virum in comitatu ducere debent, cujus consilio summariè, ea quæ ad Iustitiæ administrationem spectant, ubi necessitas exposcit, expedite valeant: prout de jure fieri debet ex decisione Text. in leg. observare, ff. de offic. Proconf. Authent. de D. D. Laur. Matthæu, de Re Crim. Pars II.

collator. §. ad hæc prohibemus, leg. 22. titul. 9. part. 2. leg. 1. tit. 4. lib. 3. recopilat. docet D. Solorçano, d. lib. 4. c. 10. num. 28. & lib. 5. politic. n. 3. vers. aora solo. Ex quibus clarè refuleat, Proregem optimo jure causam Prætoris inquirere jussisse, juxta expressas leges Novo Orbi distas, sic scrupulosè procedendo, ut ad unguem eas observatas inspiciamus: & cum tali moderatione, ut necessitati criminis inquirendi occurrendo, neque partem immoderatis expensis gravando, neque Aulae criminali suæ Audientia cognitionem causæ 26 auferendo. Non enim Iudicem perquisitorem solemniter destinavit, ut inquireret, & puniret ad expensas reorum, non salaria concessit, non ministros, ut fieri solet, elegit, & cætera de quibus Bobadill. d. c. 21. sed damno reipublicæ prænoto, fecit ea quæ leges jubent fieri, quæ obligationi muneris in visitatione Provinciarum facienda describunt.

27 Secundo quia in hoc casu, non solum filia Prætoris dicebatur veneno necata, sed duo Indi: Maria in primis veneno, deinde Petrus in carcere suffocatus, & in patibulo positus. In qua specie juxta Regium rescriptum diei 9. Aprilis 1591. favore Indorum cautum reperitur, quod Proreges possint causas eos attingentes breviter, & de plano expedire, adhibito aliquo ex Auditoribus, vel alio viro litterato tanquam Assessore, & ad has causas ipse solus possit dare iudices perquisitores contra Præfectos, Praetores & Ministros, qui informationibus sumptis de criminibus, eas remittant ad Regiam Audientiam. Probat Dominus Solorçano, d. tit. capite 10. numero 27. & in politic. d. tit. capite 13. vers. y el mesmo favor. Quanta autem sit in Protegibus obligatio in vindicandis injuriis, & gravaminibus Indorum miserabilium, sub gravissimo conscientia onere, ultra relatos ab ipso Solorçano, ibidem probat Avendaño, d. tit. titul. 3. numero 84. Quod enim fecisse Proregem dicebatur, erat executio, atque adimplementum, hujus obligationis: & sic nequaquam dici poterat iudicium nullum remansisse, cum per Iudicem ordinatum supremi ordinis, non in re sibi negata, sed expressè ad eum spectante, juxta leges Novi Orbis ad inquirendum accessit, capere Prætorum iustitiam, causam legitime substantiari mandavit, ac tandem ad confessum Auditorum adduxit, ut pronuntiatio tribueretur ei ad quem de jure pertinebat.



<sup>50</sup> Et casu quo in aliquo defecisset, non in de iudicium nullum dici potest, nam in Novo Orbe, *Non juris stricta norma servanda, sed strepitus omni remoto, ex quo & bono plerumque iudicandum, id quod etiam salutariter edicunt Regiæ leges, quæ scripta & rescripta serè adimunt.* Verba sunt religiosissimi atque perdocti Patris Josephi Acofta in aureo illo tractatu, de procur. Indor. salut. spir. lib. 3. c. 23.

<sup>31</sup> Et quantumvis hæc municipales (ut ita dicamus) Novi Orbis dispositiones deficerent, ex immanitate criminis, & qualitate delinquentis, juxta leges Hispanas Prorex, & Præfectus Curia, potuerunt crimen inquirere, ut causa in Aula criminum Regiæ Audientia iudicaretur.

Nam in arduis, vel atrocioribus ex Regalia spectante ad tribunal, qui Regem repræsentat, pertinet cognitio, indagatio, punitio, Text. in l. 5. tit. 3. p. 3. in l. 91. in leg. b. styl. in l. 14. tit. 2. libro 3. ordin. & in l. 1. tit. 1. lib. 4. recapit. lib. 1. *Y en los casos de nuestra Corte, que por las leyes de nuestros Reynos, se pueden traher ante nos, ubi latè Azeved. & in l. 9. tit. 3. eod. lib. Monteroso, d. tract. 5. c. 1. per tot. D. Greg. Lopez, in d. l. 5. gloss. 1. & 2. Paz. & Didacus Perez, in dictis iuribus, D. Covar. practicar. lib. 2. c. 6. & 7. Bobadilla, lib. 2. polit. c. 16. n. 21. 4. & Bolaños, in Curia Philip. 3. §. 4. num. 7.*

<sup>33</sup> Ex his Curia casibus quidam dicuntur notorii, alii autem notorietate carent; quorum hæc est differentia, ut in notoriis nulla probatio, aut informatio requiratur, ad hoc ut Regii iudices causam iudicandam assumant; sufficit enim simplex narratio facti per partem in libello, ut causa Regiam Audientiam trahatur: etiam si præjudicium sequatur Domino privato jurisdictionis illius territorii: nam ut Azevedo dixit, in d. l. 1. num. 34.

<sup>34</sup> Rex in concessione hæc sibi reservavit. In illis verò qui notorietate carent, necessaria est informatio, vel exhibitio alicujus documentum, ut appareat de qualitate circumferente jurisdictionem. Cujus rei cognitio ad Hebdomadariam Aula remitti solet, ut testatur Monteroso, d. c. 1. num. 1. & 16. Inter casus criminales ad Curiam spectantes annumeratur homicidium per insidias, vel proditoriè patratum. Et pariter homicidium patratum per Prætozem, seu alium Judicem ordinarium loci, ut expressè cavetur, in l. 5. tit. 3. p. 3. & in l. 8. tit. 3. libro 8. recapit. Monter. d. c. 1. n. 14. & 21. D. Greg. Lopez, in d. l. 5. gl. 2. ibi: *est casus Curia sagatur contra Præsidentem,*

*vel alium Judicem ordinari.* Bobad. d. c. 16. n. 21. 4. cum cæteris laudatis, sup. n. 3. 1. Enormitas criminum de quibus accusabatur Prætor, ex triplici causa, Curia casum constituebat. Primum quia patriicidium crudeliter patravert in filiolarum tenerrimæ iratis, quæ forsitan doli compos non erat, Text. in l. 1. & 101. tit. ff. ad l. Pompei. de parricid. & in l. unic. Cod. de his qui parent. vel fil. occid. latè Farinac. q. 120. ex n. 106. Clarus, in §. parricidium per tot. Tiber. Decian. lib. 9. c. 13. num. 7. Ant. Matth. libro 48. ff. tit. 6. c. 1. per tot. Berlich. tom. 4. concl. 6. ex n. 66. & 79. Carpz. in praxi crim. 1. p. q. 9. ex n. 1. Ex nostratibus D. Covar. in Clement. si furiosus 2. p. in prin. n. 9. Ant. Gomez, tom. 3. variar. c. 3. n. 3. in prin. Bernard. Diaz, in prax. p. 5. c. 95. & ibidem Salcedo, P. Molin. de iust. & jur. tom. 4. disp. 26. Parlador. in sequent. differ. 117. Plaça, in epist. delict. c. 2. 2. Amaia, libro 1. abs. c. 2. n. 8. & 9. Vela, de delict. 1. p. c. 17. D. Solorçano, de parricid. lib. 1. cap. 11. & 12. qui plura congerunt in detestationem hujus criminis.

<sup>35</sup> Secundum, quia duas feminas filiam nempe, & Mariam Indam veneno necatas ab eo fuisse dicebatur. Quanta sit hujus criminis enormitas probat Text. in l. 1. Cod. de Mal. & Mathem. ex quo tantummodo, insidiosum, & proditorum homicidium comprobatur, Text. in l. 1. §. occisorum, ff. ad Syllan. Bald. in l. nemo, col. 2. Cod. de Summa Trinitat. & in leg. cum fratrum, Cod. de his quibus, ut indig. Dom. Covar. lib. 2. var. cap. 20. n. 7. vers. tandem his, Foller. in pract. versitem quod sororem venenavit, num. 3. Bernard. Diaz, in prax. cap. 93. ubi Salced. Anton. Gomez, d. cap. 3. num. 7. ubi Ayllon, Plaça, d. cap. 20. in princip. Petr. Gregor. Syntag. lib. 38. c. 18. num. 6. in fin. Vela, d. 1. part. cap. 16. num. 1. Decian. d. libro 9. capite 21. Farinac. q. 122. ex num. 5. Vivius, decis. 487. num. 5. Cebal. de homicid. n. 550. Alphons. Narbona, in l. 20. tit. 1. lib. 4. recapit. gloss. 11. num. 24. Torreblanca, de jur. spirit. libro 12. cap. 2. n. 24. Anton. Matth. d. lib. 48. ff. tit. 5. cap. 5. num. 3. Berlich. d. part. 4. concl. 5. num. 30. Carpzov. d. 1. p. quaest. 20. n. 15. cum aliis per me notatis, controv. 30. num. 49. & contr. 32. ex n. 1.

Neque excusari poterat, quia de turpitudine filia certior factus, in eam & flagitantem poterat licentiam legis exercere; ex Text. in l. patri 20. leg. si veniet 20. l. neque 22. ff. ad leg. Jul. de adulter. leg. 6. tit. 7. libro 4. fori legum, ubi Montal. de

de qua materia plura congerimus, i. p. contr. 1. 1. n. 8. & 12. Nam ultra quod neque ipsos deprehensos in flagitio dicebat (neque adhuc per iudicia remota de turpitudine aliquid apparuit) quod necessarium est, ut dispositio horum iurium suffragari possit. Quando concedamus in terminis decisionum harum legum reperiri, non ita capiendum est, ut liberum arbitrium occidendi filiam patri concedatur, quia, ut inquit Papinian. in d. l. nec jura 22. §. fin. Hoc autem patri non marito mulierem, & omnem adulterium permissum est occideres, quod plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit. Exterum marito calor & impetus facile decerentis fuit refræmandus. Sed si filiam deprehenderit in propria domo, vel geneti, ut explicant Doctores in eo Textu, Anton. Matth. d. lib. 48. t. 3. cap. 3. n. 13. Non si deprehenderit in stupro, aut incestu, sed in adulterio, sic cavetur in Text. d. l. nec ea, §. fin. Explicat ad rem doctissimus Jacobus Cujac. in lib. 1. Papin. de adulter. in eo Text. ibi: *Lex Julia ferrum dedit patri, adulterii tamen ultiscendi causa, non stupri.* Quia nempe, gravius crimen, gravius injuria ex adulterio, quam ab stupro resultat. Prosequitur Cujacius, ibi: *Ut facile quidem detur patri ferrum in nuptiam que geniale lectum polluit, & marito injuriam fecit. Ratio autem differentia inter patrem, & maritum hæc est. Cur in occidenda filia jus precipuum habeat pater, non maritus? Quia si per legem Juliam liceret marito uxorem occidere deprehensam, si omnem adulterium deprehensum sane nemini parceret unquam, magis quidem esset patitur, qui veterem maritimonii consuetudinem, qui pudorem cubilis, qui spem liberorum expugnatam esse vidisset: magnus furor est, quidam ait, in Tragedia, iratus amor; & similiter l. 29. §. Imperatores hoc tit. difficillimum esse justum dolorem temperare. Patri autem, qui non tantò furore concitatur, lex non aliter permittit adulterium occidere, quam si filiam occiderit incontinenti, & quasi uno ictu; uno verò, quia lex vix, aut perraro eventum arbitrata est, ut pater occidendi filie tristissimum ministerium obierit, & libidinosæ mulieres venerunt hodie magis maritum, imò fratrem, quam patrem: plerumque enim patris pietas consilium pro liberis capit, & parcat adultero, ut parcat filie.*

<sup>40</sup> Ex quibus jam clarè resultat, quod facultas occidendi adulteram concessa fuit ei qui juxta mentem legis ratò, aut non DD. Laur. Mattheu, de Re Crim. Pars II.

quam uti ea facultate præsumebatur, quod accuratè perpendit D. Crespi. observat. 60. n. 10. Ex quo sequitur, quod permissio hæc, tanquam nimium odiosa extendi non valet de casu ad casum, nempe de adulterio ad stuprum, ut Cujac. notat, & Farinac. q. 121. n. 37. Secundò infertur quod casu quo utatur ea facultate pater, debet esse cum filiam deprehendit in eadem turpitudine, in rebus veneris, & in propria domo, ac incontinenti, ut pluribus comprobavi d. controv. 29. n. 37. & 38. Ac tandem quod pater minister sit legis ad pœnam ultimi supplicii exequendam, quod Jacobus Cujacius expressè dixit, ubi proximè, & de marito, Plaça d. lib. 1. c. 36. n. 13. ad fin. & de occidente Bannitum ex permissione legis, Farinac. q. 103. n. 154. Dom. Crespi. observat. 79. n. 8. Ob quod sicut Judici prohibitorium est reum ad pœnam mortis condemnatum veneno necare, ex Text. in l. acta 8. §. 1. ff. de pan. ibi: *Proinde nec liberam mortis facultatem concedendi jus Præsides habent: multo magis, vel veneno necandi.* Et licet Dionysius Gorhofredus in notis hujus Text. plura adducat de aliis quibus Imperatoribus, qui veneno plures necarunt, hæc tyrannica fuerunt, & nos loquimur de justis Magistratibus, atque Judicibus, sic similiter Patri, marito, & occidenti Bannitum prohibet majori cum ratione, ut filiam, mulierem, vel Bannitum morti tradant, venena propinando, Ferrum enim, ut dicunt Consulti, & Cujacius notat, patri porrigunt jura, non poculum, seu venena: sic probant communiter Doctores, in d. l. aut damna §. 1. Plaça, d. cap. 20. n. 7. Ant. Gomez d. c. 3. n. 7. & in l. 76. Taur. n. 17. vers. ult. Cabal. cas. 278. n. 1. & 2. & de homicid. n. 578. Farinac. q. 103. n. 110. Qui omnes concludunt, bannitum minime occidi veneno: & quamvis Ant. Gomez, in d. l. 76. n. 18. dixerit non teneri occidentem bannitum veneno de nece quæ ei erat permissa, sed de excessu; hanc opinionem accuratè impugnant Petrus Caballas de homicid. n. 579. & Farinac. d. n. 110. Et communiter in Praxi contrarium observari testantur; nempe quod necans bannitum veneno, puniatur tanquam verus homicida, insidiosus, & proditorius. Ex quibus abudè resultat, quod Prætor de quo agimus tanquam reus criminis in casu Curia notorio posset inquiri per Regiæ Audientia Præfectum; nam ex ipso facto, appatebat de

Re 2 qualitate



qualitate necessaria ad circumferendam jurisdictionem.

50 Tertium, quia sepeditus Prætor, ut vindictam sumeret de Petro Indo, & coquo; usus, seu abusus fuit, auctoritate officii, propriam injuriam persequendo, sub prætextu omnino improbabili, nempe quod ipse Petrus ei venenum propinare intentaverat. Quo in casu per eum judicialiter confesso (nam licet Scripturam quandam ediderit; non in ea, causa judicialis continebatur, non probatio conatus propinationis, non acta, ritè, & rectè confecta; imò nec colorata, sed aliqua propria manu Prætoris scripta informia profusus; & absque ordine vel figura Judicii) dolus ac culpa ipsius comprobabatur. Nam omni jure prohibitum est, quod aliquis iudicis officio fungatur in causa propria, Text. in l. qui jurisdictioni, ff. de jurisdic. om. jud. & in leg. unic. Cod. nam quis in sua caus. pluribus Guazzia. d. defens. 1. cap. 21. num. 15. Petrus Barbosa, in l. si quis ex alien. n. 114. ff. de jud. plura per August. Barbosa, in d. leg. unica, quibus addendus Dominus Crespi, observ. 60. num. 10. Gregor. Lopez, in l. 10. tit. 4. part. 3. Anton. Faber in Jurispr. tit. 1. princip. 4. illat. 3. Donel. lib. 17. Comment. cap. 25. & ibi Illiger. lit. B. Carleval. de jud. tit. 1. disp. 4. n. 9. Neque offensè, vel inimicus potest judex esse in causa ejus, qui injuriam aut damnum intulit, ut latius dicitur, contravers. sequenti. De quo plura per Langleum semestrium, lib. 2. cap. 5. per tot. Et quanquam Azevedo, in l. 10. tit. 5. lib. 3. recopil. num. 8. tradit Judicem cognoscere posse de injuria sibi illata, hoc procedit quando facta fuit intuitu officii & notoriè, & pœna reperitur definita expressè per aliquam legem. Secus si illata fuit intuitu personæ, in occulto, & pœna arbitraria, ut ipse Azevedo docet ibidem, & pariter non procedit si pœna esset corporalis, cujus executio irretractabilis sit: ut pluribus probat Thomas Carleval. d. Jud. tit. 1. disput. 2. num. 798.

54 lib. 1. plurimis observatione dignissimis Dominus Valença, consil. 91. & n. 27. & Dominus Don Joan. Bapt. de Larrea, allegat. fiscal. 2. num. 6. cum sequentibus.

55 Multò minùs potuit ipse Prætor ea quæ acta dicebantur, scribere; nam judex, adhuc de consensu partium, non potest in gravi causa sumere officium actuarii, Text. in cap. quoniam contra de

probat. Bartol. in l. jubemus, C. de sacros. Eccles. S. sanè, in fin. num. 13. Innocent. in cap. cum à nobis de testib. Franc. Vivius decis. 48. n. 5. & 6. Gratianus discept. 4. num. 10. cum seqq. Novar. ad pragmat. Neap. tit. de actu. pragmat. 9. num. 3. August. Barbof. in d. cap. quoniam contra num. 7. Neque in ea Scriptura informatio summaria reperiebatur, examen testium inchoatum, terminus assignatus ad defensiones, confessio formiter exacta, aut aliquid ex substantialibus iudicii, adeo ut neque sententia lata, vel pronuntiata fuerit. Solum enim continebat decretum de inquirendo quod vulgo dicitur Cabeza de proceso, & in eo assertiones Didaci, & Joanne absque juramento, continentis, quod Petrus fatebatur se venenum præparasse in cœna sumenda per Prætorum, & conjugem; absque memoria acerbe punitionis in Pettum executioni deductæ: quare apparebat de facto, & nullo juris ordine servato Petrum interemptum fuisse. Quando enim forma juridica in procedendo non servatur subditi gravantur, ut pluribus probat Novar. tractat. de gravamin. vassallor. tom. 1. gravam. 79. per tot. Et sic prædictus Prætor reus pœnæ capitalis factus fuit, Text. in l. lege Julia 7. §. fin. ff. ad leg. Jul. repetend. ibi: Quid enim si ob hominem necandum pecuniam acceperint? vel innocentem, vel quem punire non debuerant? capite plecti debent; vel certè in Insulam deportandi. Per quem Textum, ad mortem condemnatum fuisse Locumtenentem Irenarchæ, quia morti tradidit duos adolescentulos, absque legitimis probationibus scribit Paponius, lib. 4. tit. 13. arrest. 5. Qui bene probat simili reo concedi terminus non debuisse ad probandas suas defensiones, quia ipse non concessit: quia quas ipse probare debuisset, ex actis ostendere tenebatur: licet in eo casu de facto concessum fuit, magis de gratia, quàm de Jure. De qua materia videndi sunt Petr. Belluga, in speculo Princip. Rub. 44. n. 4. Caball. de homicid. c. 174. cum seqq. Farin. quest. 111. n. 379. P. Fragofo, de repub. 1. p. lib. 7. disp. 23. n. 50. Giurba, consil. 68. n. 24. Novar. de elect. for. q. 2. n. 14. in fin. D. Crespi, observat. 1. n. 306. de jure nostro Text. in l. 25. tit. 22. p. 3. & ibi D. Gregor. Lopez, gloss. 3. Ant. Gomez, var. l. 3. c. 3. n. 16. & ibi Ayllon. Et quanquam allegabatur per imperitiam Petro mortis pœnam imposuisse absque debitis solemnitatibus, eo quod

quod vir militaris Prætor esset, & sic excusandus erat, ut voluit Farin. ibid. n. 380. Tamen dolosè factum fuisse apparebat, quia sine causæ cognitione processerat, & de facto; quo in calu tenetur juxta doctrinam ejusdem Farin. ubi sup. n. 390. Gomez, d. n. 16. in fin. Testay, allegat. 9. n. 18. Galeot. contr. 39. n. 53.

59 Neque deficere solemnitates requisitas ad dandum iudicem, & ad inquirendum dici poterat, ita ut acta infirmarentur, & nullius momenti remaneret. Quia negari non poterat causam ex triplici capite crimen publicum continere ut inter publica judicia connumerari debuisset. Primum ex participio patrato in Silviam, ex quo reus factus fuit legis Pompeiæ; d. l. 1. & tot. tit. ff. eod. Ex nece veneno patrata in Mariam comprehensa in lege Cornelia de sicariis, l. 1. §. 1. l. 3. ff. eo tit. Et in lege Julia repetundarum, d. l. 7. §. fin. ff. eod. ex morte in forma iudicii illata in Pettum, sive eadem lege Cornelia de sicariis, Text. in leg. Cornelia 4. in princ. ff. eod. Et ex quocunque ex his, Judex potuit ex mero officio procedere, imò ad id tenebatur, sive per accusationem, sive per denunciationem, sive ex mero officio, Text. in d. l. congruit, ff. de offic. Præsid. l. item apud Labeonem, 15. §. si quis, ff. de injur. l. 4. vers. 2. ff. ad leg. Jul. peculati. l. per omnes, Cod. de censor. civit. l. penult. tit. 1. p. 6. ubi D. Gregor. Lopez, Julius Clar. in §. fin. q. 4. n. 2. Ant. Gomez, variar. lib. 3. c. 1. n. 10. Vela, de delict. p. 2. c. 2. n. 3. Maticenzo, in l. 1. tit. 14. lib. 5. recopil. gloss. 1. n. 9. Padilla, in l. transgredere, C. de transact. n. 50. Farin. in fragm. verb. Judex, n. 372. & cons. 55. n. 57. Ayllon. ad Gomez, d. c. 1. n. 10. & 11. Egoque aliqua dixi, tom. 2. de regim. Valc. 8. §. 1. per tot. D. Crespi, observ. 4. n. 14. cum seqq. & n. 213. Martin del Rio, lib. 5. disquis. magic. sect. 2. vers. secund. Novar. de gravamin. vassallor. tom. 1. grav. 175. per tot. (quando autem Judex debeat, vel possit procedere aliquo ex his modis tradunt Doctores, in e qualiter, & quando vers. ad corrigendas, de accusation.) imò Judex in delicto notorio puniri debet, si non processit inquirendo ex mero officio, Azevedo, in l. 1. tit. 17. lib. 4. recopil. n. 3. Testay, allegat. 6. n. 19. cum seqq. aliis relatis Carpov. p. 3. q. 103. n. 52. & q. 107. n. 3. in fin. Et cum in hoc casu, suspensio de facto in patibulo cadaveris Petri, erat factum publicum, & notorium, de quo Prorex potuit informari in cubiculo, ut notat Alexand. in l. unic. D. D. Laur. Mathau, de Re Crim. Pars II.

C. utque des. advocat. n. 3. & 4. Curs. Jun. de feud. l. p. g. 1. n. 13. Rimia. Jun. consil. 639. n. 2. Ciarlin. controvers. 1. p. c. 106. n. 99. pœnam mereret Prorex, si dare 62 iudicem recuasset, & ipse Judex si inquisitionem omisisset, absque labe suggestionis, cum in notoriis ordo fir ordinem non servare, ut dixi contr. 19. n. 3. Et denique quia illum, qui intra territorium iniquitates, & flagitia commisit, adversus exteros, vel miserabiles personas, quæ non facile possunt accusationem instituere, & gravaminum satisfactionem querere, debet supremus Magistratus Regionis compefcere, mediante Judice, qui zelo boni publici, & vindictæ in peccantem debita procedat per modum inquisitionis, & ex officio, ut doctè notat Carleval. de Jud. d. tit. 1. dis. 2. n. 744. Quæ omnia concurrebant in nostro casu, ut ex dictis resultat. Si enim res accuratè inspicatur, quis accusaturus erat Prætorum merum imperium exercerent, de nece filii ipsius clandestinæ, & nequirer interemptæ; Quis ex miserabilibus Indis auderet prosequi injuriam per Judicem ordinarium illatam Mariæ & Petro, informationem querendo, testes interrogando, atque si de ejusmodi offerendo, de solvendis expensis: Quare enim apices juris extorquerentur ad evadendam justissimam ultionem, quando tot tantaque jura transgressa per Prætorum apparent? Nullitas enim ex actis minimè quoad ritum comprobabitur: & si aliquod impedimentum jurisdictionis Proregis habere poruit, ex eo quod ad dandum iudicem, Auditorum consensus requiretetur, ipse Prætor prorogavit jurisdictionem, & Judicium ratum habuit in prima, & secunda instantia, absque aliqua protestatione, Text. in l. 1. ff. de Jud. quem optimè explicat Petrus Barbola, in celebri tract. ad hunc tit. & Text. præcipuè art. 3. n. 8. cum seqq. Quæ quidem prorogatio in criminalibus etiam procedit, Clar. d. §. fin. q. 42. D. Greg. Lopez, in l. 15. tit. 1. p. 7. gloss. 2. Didacus Perez, in l. 1. vers. sed contrarium tit. 4. lib. 3. ordin. Aug. Barbof. in c. de causis 4. num. 4. de off. jud. delegat. Giurb. consil. 16. n. 3. in fin. Neque refragatur Novar. d. q. 2. n. 22. cum omnia in contrarium adducta limitet, quando prorogatur, sive eligitur tribunal Principem representans, qualis est Regia Audientia in qua Prorex præest. Neque ipse Prorex, aut Præfectus Curie dici poterant Judices incapaces causæ, cum jurisdictionem obtineret actu, & habitu, in secunda R. 3. instantia



instantia ejusdem, sed ut plurimum incompetentes in prima ejus instantia, quo in casu prorogabilis absque dubio erat eorum jurisdicção, etiamsi cuncta superius deducta defuissent. Nec regula illa per reum adducta ex l. quod ab initio, ff. de reg. jur. procedit in judicialibus, sed in contractibus, ut notat Jacobus Revardus, ad eum Text. & similiter Petrus Faber. Et quanquam ex Text. in l. factum 170. ff. eod. dici posset ratum non esse quod ad officium Proregis, & Præfecti Curie non pertinebat, respondebatur: quod imò ex necessitate officii tenebantur inquirere; & ex eo, etiamsi verificaretur, non auferbatur effectus prorogationis, ut Revardus docet, *ibidem* ex Text. in l. est receptum 14. ff. de jurisdicção. & in l. inter convenientes 28. ff. ad municipal. Ita ut decisio Textus, in l. fin. ff. de juris, quo Paulus docet quod extra territorium jus dicenti impune non paretur idem est, & si supra jurisdictionem suam velit jus dicere. Præterquam quod nostræ speciei non congruit, quia Prorex, & Præfectus Curie in suo territorio jus dicebant, & non supra jurisdictionem eis concessam: Limitata enim reperitur per Textum, in l. qui non cogitur 22. ff. de jud. quem mirè ad rem exponit idem Revardus.

67 Neque in hac specie, etiamsi cuncta per Prætozem allegata procederent, aliquid deficiebat præter consensum Auditorum illius Regiæ Audientie. Qui quidem re integra, nempe antequam Prætor opponeret, præstitus fuit: nam Prorex ante decisionem causæ in consensu Auditorum eam adduci jussit; qui cognitionem Aulæ criminali remisissent, ac per consequens, ratum habuerunt quicquid per Proregem, & Præfectum Curie actam, gestumque fuit: Text. in leg. non tantum 5. ff. rem ratam haberi cum vulgaris.

68 Quoad rectum enim, difficultas magna versabatur: nam inspecta immanitate criminum, graviorem animadversionem expostulabat. Sed defuit spes instruendi processum per debitos, ac legitimos tramites, quoad probationem corporis delicti, respectu homicidiorum patratum cum propinatione veneni: quia adhiberi debebant periti qui deponant de qualitate, & quantitate veneni propinati, & judicium faciant aliquem veneno propinato interemptum fuisse, ut deveniri possit ad condemnationem; jux-

ta tradita per Farin. g. 2. n. 30. g. 86. n. 29. & quæst. 122. n. 57. Fran. Vivi. decis. 487. n. 2. & 3. Cabal. cas. 180. n. 8. Scaccia, de jud. lib. 1. c. 83. n. 3. Guazzin, defens. 4. c. 5. n. 4. Carena, de inquis. p. 2. tit. 1. §. 4. n. 33. cum aliis per me congestis, d. tom. 2. de regim. c. 8. §. 2. num. 16. cum seqq. Quibus addendi, Ant. Gomez, d. c. 3. num. 8. D. Gregor. Lopez, in l. 7. tit. 8. p. 7. Molin. de Jus. & jur. tom. 4. disp. 24. num. 16. Hermosilla, in l. 17. tit. 5. part. 5. gl. t. num. 2. Ayllon, ad Gomez, d. c. 3. n. 9. & novissimè ac diffusè Paulus Zachias, in quæst. Medico-legal. lib. 2. tit. 2. per tot. Prorex enim per Præfectum Curie ea probare non potuit, quia crimen patratum supponebatur, die 15. Martii 1668. & causam inquirere cepit, die 16. Julii subsequentis; quo jam cadavera consumpta putredine extrabant: & quidquid inspicere oportebat, vel consumptum, vel occultatum, ac per consequens impossibile reddebatur, quod jussu Senatus ea consequi possent, & cum tandem veniret condemnandum ad pœnam extraordinariam, Senatus censuit sententiam Regiæ Audientie validam fuisse; & sic pronuntiavit die 15. Januarii anni 1671.



## CONTROVERSIA LXV.

De Judice recusato ex causa inimicitie provenientis ex alio judicio criminali, in quo cognatus judicis secundis fuerat Iudex, vel Reus.

## SUMMARIUM.

- 1 Judicem suspectum in criminalibus non posse recusari aliqui tenent.
- 2 Contrarium communiter receptum est.
- 3 Facilius Judex ex suspitione excluditur à judicando, quam testis à testimonio ferendo.
- 4 Inimicitia causa sufficiens est, ad recusationem judicis.
- 5 Inimicitia qualibet sufficit, secundum communem Censuram.
- 6 Inimicitiam capitalem plures requirunt.
- 7 Inimicitia sufficiens ad recusationem, arbitrio juris relinquitur.
- 8 Inimicitia inter reum, & consanguineos Judicis sufficit ad recusationem illius.
- 9 Inimicitia affectari solent, ut aliquem Judicem excludant, etiamsi veritate non comprobetur.

10 Inimicitia

- 10 Inimicitia sufficiens ad recusationem probanda est inter reum, & cognatos judicis, in gradibus à jure definitis.
- 11 Gradus hi quot sunt, de jure Hispano.
- 12 Gradus computandi sunt secundum jus Canonicum.
- 13 Gradus in negotiis secularibus, computari solent secundum jus civile.
- 14 Gradus in hac materia computantur secundum jus Canonicum, & quare.
- 15 Inimicitia probanda in judice suspecto non requirit, quod ad actus externos extensa fuerit, sufficit causam ostendere.
- 16 Ex judicio criminali causa inimicitia oritur inter judicem, & reum.
- 17 Judex procedendo ex mero officio, sive per inquisitionem induitur vices accusatoris.
- 18 Exceptiones qua possunt opponi contra accusatorem, opponi possunt contra judicem inquirentem.
- 19 Subrogatus, in lite, dicitur adversarius.
- 20 Inquisitus sit inimicus Judicis inquirentis, non è contra. & n. 26.
- 21 Judicis visitatoris recusatio raro admitenda est.
- 22 Judex nunc procedens, si inquisitus fuit ab ipso reo, recusatio procedit, etiamsi visitator sit.
- 23 Idem dicendum quando consanguineus inquisitus recusatur, ab inquirente in primo judicio.
- 24 Inimicitia orta ex inquisitione in causa gravi, afficit omnes consanguineos inquisiti.
- 25 Consanguineus judicis inquirentis in prima instantia, an recusari possit in secunda.
- 26 Judex non sit inimicus inquisiti, quia necessitate officii ductus inquirat.
- 27 Inimicitia hæc causa si deducatur affectata videtur, & juvare non potest.
- 28 Recusationum plures magis in causam, quam in personam diriguntur.
- 29 Inimicitia proveniens ex fallo recusantis, non arguit judicem suspectum.
- 30 Inimicitia hæc non extenditur ad consanguineos, & affines.
- 31 Text. in l. unica, C. si qua, prædit. potest. expenditur.
- 32 Causa recusationis in Regios Senatores probanda est.
- 33 Iudex semel in causa judicans, an recusari valeat.
- 34 Affectus non mutandi sententiam an induat suspicionem ad novam causam.

- 35 Judex ad quem, an suspectus fiat ex eo quod cognatus sit, judicis à quo.
- 36 Pater, & filius, socer, & gener, vel duo fratres in eodem Senatu non admittuntur, ne facile cœant in eandem sententiam.
- 37 Inter hos ratione affectionis arctissime recusatio ex quo aliquis sit judex à quo, procedere potest, si alius sit judex ad quem, secus in remotioribus.
- 38 Affectio considerata in patre erga causam patrocinatam à filio, non extenditur ultra primum gradum.
- 39 Advocati affectio erga causam procedit quia propalavit sententiam, & mercedem recepit.
- 40 Affectio advocati non extenditur ad similes causas, neque ad cognatos, vel affines ejusdem.
- 41 Sententiæ propalatio causa recusationis est in Judice ordinario.
- 42 Fallit in Senatore, propter excellentiam dignitatis.
- 43 Senator in gradu supplicationis non recusatur, ex eo quod in prima instantia votum emisit, quamvis tres tantum judicasset, quo in casu notum est, quid pronuntiaverit cum omnes debeant esse conformes.
- 44 Recusatio ex causa vel minima admitenda est, nisi prorsus absurda, vel omnino calumniosa videatur.
- 45 Decisio Senatus.



VANQVAM Ant. Math. in tract. de crimin. lib. 48. ff. titulo 13. c. 1. n. 10. innuere videatur, Judicem suspectum in criminalibus non posse dici, quæ in supremis Magistratibus ferè comprobatur Carpzov. 3. parte praxis crim. quæst. 104. ad fin. dum ostendere conatur, posse judicium ferre in causa injuriæ sibi illatæ. Hæc conclusio communiter reprobata est, ut pleribus probat Sebast. Guazzin. defens. 1. c. 19. ex n. 11. & de jure nostro dubio, omnino caret: nam licet in l. 1. tit. 5. lib. 3. ordin. clarè dicatur ibi: 7 en los pleitos criminales; & in l. 1. tit. 10. lib. 2. recopil. & in segg. de cunctis judiciis agitur. Ubi nostri Interpretes & accuratè Torreblanca; de jur. spirit. lib. 15. c. 9. num. 8. Et sic apud Doctores est regula scitissima, quod facilius Judex à judicando excludatur, quam testis à deponendo: ea nimium ratione; quod plures reperiri possint, qui judicis vices sustineant; pauciores

R r 4 verò,